



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

**R.P. Valerii Reginaldi Bvrgvndi Seqvani E Societ: Iesv,
Praxis Fori Poenitentialis**

Ad Directionem Confessarii, In Vsv Sacri sui muneris ...

Regnault, Valère

Mogvntiæ, 1617

Venerabilibus Animarum Pastoribus Salvtem.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-78332](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-78332)



VENERABILIBVS ANIMARVM PASTORIBVS

Bibliotheca S. Capucinarum Paderbornensis
SALVTEM.

QVM ex instituti iamdiu à me suscepti ratione, actiones omnes meae debeant esse cum DEI gloria, vtilitateque proximorum coniunctae, contendi pro vitibus haecenus ne mea studia ab eo fine aberrarent. Suscepi autem ex iudicio voluntateque Superiorum id potissimum studij genus, quod non modò priuatis hominibus ad rationem salutis; sed & ipsis animarum Praesidibus ad officium suum ritè obeundum non mediocriter conferre posset. Constat sanè ex sacris literis exquisitioram quandam à Sacerdotibus, vtpote ceterorum Magistris, ac diuini iuris interpretibus exigi diuinarum rerum notionem: vt praesertim ligandi; soluendique ministerio sibi à Christo imposito, ritè defungantur. Quos enim mæandros flexionesque, conscientiarum sinus habent? hos autem extricare, quanti iudicij est? dirigere verò, & in tuta quasi statione collocare, quantae doctrinae? quanti rursus periculi est errare in locis incognitis, & caecorum caecos esse duces? Sanè non hoc solum peccant quòd inscientes sunt, & indocti; sed earundem sunt etiam flagitiorum, suppliciorumque rei, in quorum abrupta feruntur homines, quos ad DEVM, diuinamque legem ex officio dirigere debuissent. Sed quàm talem est luëtiosa conditio, tam eorum est honesta contentio, qui ab hac eruditione, quâ iuari animae potissimum queunt, probè instructi ac parati, diuinamque facibus Charitatis ardentem, in medios quasi fluctus insiliunt; vt quamplurimos è certissimo naufragio suae salutis eripiant. Hae ego spe ductus, & plerosque fore persuasus, quos idem diuinæ Charitatis ardor accenderit, quibus si accesserit necessarium solidioris doctrinae praesidium, non dubium, quin idonea sint alienae salutis instrumenta futura; hunc laborem suscepi, eorum inductionem animi, contentionemque; honestae voluntatis adiuturus, non quasi alij desint quorum fructuose in hanc partem incubuit industria; sed quia existimaui non frustra nostram locari operam; si collectis in vnum superiorum Doctorum placitis, nos simul adniteremur, nostroque ex diuturno in hoc Theologiae morali studio comportatis obseruationibus, reliquorum conatibus non nihil adiumenti afferremus; vt enim scitè dixit D. Augustinus, in hoc rerum genere nec est maioribus inuidendum, nec de minoribus desperandum. Nihil utique mihi tanti fuit, quanti vt vobis, Sacri animarum Pastores, (vos enim meus hic spectat in primis labor) vestrae digni-

tatis admonitus, regia planè, ac si fas est dicere, diuinæ inferuim, in animarum lucris confectandis: eaque præsidia pro modulo meo ministrarem, quibus & dignitatem tueri, & aliis quamplurimis prodesse possitis. In quam cogitationem vos adduci non dubito, partim officio, partim necessitate; quorum nimirum præcipuè est pietatem, timoremque diuinum, inclinatione communium temporum debilitatum, ne dicam iacentem, in hominum pectoribus erigere, ac promouere; tumque existimare beatos fore populos, si in his Religionis integritas, & virtutis honestas efflorescant: quæ & labores vestros plurimorum salute cumulent: & vos erecti pulcherrimi studij conscientia; tunc demum optimorum Pastorum officio defunctos iudicate, cum vobis subiectis populis, qua grauius, & eruditè docendo, qua salutaribus exemplis præluendo, præcipuam diligentiam, curamque impenderitis. Accipite igitur hoc qualecumque est nostra voluntatis officium, non magnum per felicet, sed ex magno tamen amore, vobisque obsequendi cupiditate profectum. Cumque sit ea, quam diximus, in vos voluntas, & obsequium, & voluntatem amplecti velitis, & obsequio frui.

Omniū in CHRISTO seruus

VALERIVS REGINALDVS
è Societate IESV.

PASCITE qui in vobis est, gregem Dei, providentes non coacte, sed spontaneè secundum Deum: neque turpis lucri gratia, sed voluntarie: neque ut dominantes in Clericis, sed forma facti gregis ex animo. Et cum apparuerit princeps Pastorum, percipietis immarcescibilem glorie coronam. 1. Petri. 5.



PRAXIS